



Institerat veneranda dies qua Praeses Apollo
Una cum Musis solennia festa parabat.
Purpura tunc humeros tenuit; fastigia templi
Splendebant auro, stratum vestire cathedram
Sericeum, nullus juvenum sopor occupat artus.
Consurgunt omnes media de nocte, novosque
Pectore sollicito cupidi meditantur honores.
Multorum angustum vix gaudia tanta recepat

Pectoris hospitium, celebrant communia multis.

Jamque ferè primam cœli lux candida metam

Contigerat, sumunt Vestes multa arte superbas,

Competiere omnes sibi limina nota Patroni.

Qui properans illos per compita publica ducit

In sacras ædes, celsamque ad Apollinis arcem.

Hæc erat ampla domus vario decorata nitore,

Hæc erat illa domus quæ præmia larga tenebat,

Hæc, ubi conspiceres tot Numina Pheilosophorum,

Quosque olim coluit Germania nostra Magistros.

Postquam conveniunt loca jam dictata capessunt,

Conticuere omnes, facit alta silentia tempus.

Ast ubi Promotor de cœptis farier inquit,

Primaque jam Juvenes ascendere scamna volebant,

Summus Aristoteles miratur, & ascendentes

Conspiciens propius trinos virtute coruscas,

Menkenium doctum Sinnerum, Königiumque,

Ingenuos Juvenes, teneraque ætate virentes,

Dum nulla sordent nitidi lanugine vultus,

Palliaque ornarent, here quos armaverat ensis;

Rumpo moras, inquit, neque enim queo talia ferre:

Imberbes Juvenes num præmia nostra merentur?

Grande decus barbæ periit? Quid pallia profunt,

Quæ scapulas ornant hodie, cras abjiciuntur?

Nonne profanantur sacra nomina Philosophorum

Jam quo priscus honos abiit, quo nostra decora?

Immissæ barbæ detritaque pallia nostros

(a) Ornabant olim. (b) Graji Latiique tenebant

Hunc morem. Pulchrumque fuit tum dicier: Hic est.

Cum dura gravitate virum barbaque fenili

Atque humerum pulla celantem veste (c) sinistrum

Quidam conspiceret; Tum conclamasse licebat

En mihi Philosophum! Sed quæ quæso ordinis hujus

Temporibus vestris prægnantia signa supersunt?

Vix Juvenum prima vernant lanugine malæ,

Pallia, quæ quondam pannosa tenere juvabat,

Serica nunc splendent, varioque nitore superba,

Philosophus lateri nitidumque accommodat enssem.

O Juvenes, Juvenes, quæ vos sententia cepit?

Discite

(a) De pallio quidem hoc testatur Salmas. in Tertull. Tract. de Pallio p. m. 65. ubi quod Philosophi ab eo *αὐτοφύλαξι* dicti sint, probat. De barba vide Aul. Gell. Noct. Att. l. XI. c. 2.

(b) Quod de pallio imprimis asserit Tertullianus dicens: Cum voce pallii vestem Romanam intrasse, i. e. interprete Salmasio, non tantum vocem, qua pallium denotatur, sed habitum quoque ipsum ex Græciâ Romanos accepisse.

(c) Philosophi enim ita pallium gerebant, ut eo in lævam congesto humero dextro exerto agerent. Salm. l. c. p. 384.

Discite quæ nobis placeant, ne turpe putetis
 Palliolum teneris humeris imponere nostrum,
 Hocce modestus amat. Nil est moderatius illo.
 Utilius nil est: Expertum audite Rupertum:
 Nam mihi nulla manus nec pes parere caputve,
 Nec pugnaturò distinctio ritè fluebat,
 Palliolum nisi me tegetet, dubiumque juvaret.
 Palliolum mihi cuncta dabat bona suppetidando:
 Omnia sic mecum meà mi portare licebat.
 (d) Sumere parva mora est: Ideoque involvite corpus;
 Tecta sinistra fiet, sed libera dextra manebit,
 Spernere quis quæso tantum velit ornamentum!
 Ne vobis barbam invisam quis det *μισοπώγων*,
 Barba insigne viri, decus immortale (e) Deorum.
 (f) Non tua si rigidis horrent densissima setis
 Corpora turpe puta. Turpis sine frondibus arbor,
 Turpis equus, nisi colla jubæ pendentia velent:
 Pluma tegit volucres, ovibus sua lana decora est,
 Barba viros hirtæque decent in corpore setæ.
 Majestas barbæ fuit admirabilis olim.
 (g) Credebant hoc grande nefas & morte piandum
 Si juvenis vetulo non assurrexerat, & si
 Barbato cuicumque puer, licet ipse videret
 Plura domi fraga & majores glandis acervos.
 Tam venerabile erat reliquos præcedere barbâ.
 Præmaque par adeo sacræ lanugo senectæ.
 Quare vos Juvènes barbati estote Magistri.
 Dixerat: Atque Plato lateri qui (h) appensus eidem est,
 Quid fili, quid dicis? ait; quid pallia barbam
 Philosophi jactas? non jam sunt secula nostra.
 Tempora mutantur, mores mutantur in illis.
 Temporibus servire decet. Quid pallia præstant?
 Emicat è nitida virtus quoque veste decora.
 Palliolo num sub tenui sapientia tantum
 Non sub præstantique latet? Bombycina quantum
 Pannosis præstant, tanto sunt hæc meliora
 Temporibus nostris. Ornatum corporis omnem
 Pallia præripiunt, præclara inventa remissi.
 Nam piger ignavo palmas abscondit utrasque
 Palliolo. Juvènes nitidus decet impiger ensis.
 (i) Tu quoque Aristoteles gladio Te accingere quondam
 Ausus es. Hinc præstat motam componere mentem.
 Fac molem juvenes (k) onerosaque pallia jactent.
 Barbaque quid prodest? Onerat non ornat Opaca.

Barba

(d) Nihil enim facilius aut expeditius quam pallium sumere. c. l. p. 367.
 (e) Nam & Jupiter & Æsculapius immissa barba præditi pinguntur.
 (f) Testimon. ex Ovid. l. XIII. Metam. petium.
 (g) Testimon. è Juven. Sat. XIII. petium.
 (h) In Auditorio Philosophi Platoni vero barbæ defensio affingitur, quia rasâ barbâ nec in
 pectus usque prominenti ibi pictus est.
 (i) Si verum est, quod ponitur in den lustigen und ernsthaften Gedanken T. I. p. 462.
 daß Aristoteles der alten Philosophen Pedanterey verlassen / und cavalirement einen
 Degen an der Seiten gehabt.
 (k) Juven. Sat. VI, 235.



Barba (l) gravis manet usque viris manet usque juventa.
 Barbarus inque loco sedet ac barbatus eodem.
 Si praelonga facit sapientem barba, quid obstat
 (m) Barbatus possit quin Philosophus caper esse?
 Pieridum tandem pulli commercia quarunt
 Blanda puellarum, quas contra (n) mollia semper
 Oscula delectant & desperatio barbæ.
 Quare ne Juvenes barbati estote Magistri!
 Nam quid Philosophis barba est, quæ commoda præstat?
 Scilicet hi stolidam præbebunt (o) vellere barbam
 Cunctis, Monstra hominum rabidæ ludibria plebi?
 Quis tolerare igitur tantum velit excrementum?
 Addere plura parare Plato. Sed protinus illi
 Talia Promotor celsa est de sede locutus:
 Mens & Aristotelis nunc atque Platonis amica est,
 Aurea sed nostris libertas carior illa!
 Philosophus quivis jam vult Eclecticus esse.
 Depositorque olim primis cum tingeret hosce
 Rite sacris, dixit: Sit libera cuique potestas:
 Barbam quisque sibi mox eligat ipse placentem!
 Factum est. Menkenio, Sinnero, Königioque
 Nulla placet. Porro quod pallia Philosophorum
 Attinet. Hic modus est: Hos si Schola nostra vocabit,
 Palliolo ornati properabunt: Enseque nodum
 Dissolvent valido, si forsan Gordius adsit.
 Nil moror ulterius: Solemni more merentem
 Cum reliquis Juvenum trigam hanc declaro Magistros.
 Oscula tum capiunt, annellis atque nitentes
 Ornantur digiti, clausus liber est adapertus.
 Nos meritò vobis tantos gratamur honores.
 Sit pro Palliolo toga tandem. Postera Secla
 Vos credent (p) dignos barba, dignosque capillis
 Philosophi: Decus hoc, tanta ornamenta tenete!
 Vota Tui comple Menkeni spemque parentis!
 Præmia Theologies Sinnerum porrò coronent.
 Regia Königium virtus fortunaque servet.
 Trini perpetuo florete, vigete, valete!


(l) Juv. I, 25. si adeo longa, ut molesta sit.

(m) Quod in proverbio dicitur.

(n) Juv. VI, 366.

(o) Perf. Sat. II, 28. cum notis, Amstelod. quod Cynicorum Philos. proprium.

(p) Juv. XVI, 31.



PRISCA DECORA

PHILOSOPH

JUVENIBUS N

JOHANNI BU

MENK

Li

CHRISTIANO

SINN

Li

VVOLFGAN

KÖN

Camp

d. XXV. Jan. c

SOLENNI MORE M

gratul

COLLEGIUM ORATO

SCHMID

Inter

M. LUDOVICO CHE

Neost. a

LIP

LITERIS CHRISTOP



(*) Philosophi cum in hunc mundum venissent, ut in ista vita felicitatem invenirent, sed nihil
 (*) Philosophi cum in hunc mundum venissent, ut in ista vita felicitatem invenirent, sed nihil
 (*) Philosophi cum in hunc mundum venissent, ut in ista vita felicitatem invenirent, sed nihil